



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

292. An Superiores Regulares possint dispensare cum suis subditis super irregularitate contracta ex homicidio voluntario? Et quid si sit occultum? Et an hoc etiam exte[n]datur ad Novitios? Et ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76429](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76429)

Sanctum, & absolvendum suos subditos? Et an sub nomine Episcopi in dicto Concilio comprehendatur Vicarius Generalis: Ex p. 7. tr. 2. Ref. 5.

Communiter negativè respondent. Ita Suárez de Relig. tomo 4. tract. 8. lib. 2. cap. 12. n. 12. Ledesma in Summa tomo 2. tract. 1. cap. 6. post. 20. conclus. diff. 3. Sanchez de Matr. lib. 8. disput. 2. n. 13. Sigismundus à Bononia de elect. Prælator. parte 2. cap. 1. dub. 60. Campanili in Diver. Iur. Can. Rubr. 7. cap. 5. num. 5. Garzias de Benef. part. 7. cap. 11. n. 13. & 17. Alterius de Cens. tom. 2. disput. 8. cap. 3. & alij. Et ratio est, quia ex verbis Concilij constat nomine Episcoporum non intelligi in eo qualitercunque habentes iurisdictionem, quasi Episcopalem, sed solos habentes eam in aliqua Diocesi sibi subdita, vt patet ex illis verbis Textus, quoscumque subditos in Diocesi sua: Ergo non comprehenduntur in dicto textu Prælari Regulares, cum nullam habeant propriam Diocesim.

Hoc tamen non obstante non desunt Doctores affirmatiuam sententiam docentes, & assertores Prælatos Regulares, saltem Generales; & Prouinciales nomine Episcoporum comprehendendi in dicto Concilij Tridentini Decreto, postque ex vi eiusdem Decreti vti facultate ibi concessa dispensandi super irregularitatibus, & absoluedi à censuris occultis, alicui Papæ referuatis; si finent Rodriguez tomo 1. qq. Regul. quest. 61. art. 9. Beia parte 4. casu 37. in principio, Bartholomæus à S. Fausto lib. 4. Theauri Religiosorum, quest. 125. Laurentius de Portel verb. Prælatus, num. 36. & ita etiam sentire videtur Sayrus lib. 7. Theauri cap. 7. num. 24. Si attendi legatur. Probatur hæc sententia, quia etiam hi Prælati Regulares sunt exempti, & habent iurisdictionem quasi Episcopalem in suis subditos regulares, & etiam proprium territorium, quod non est pars Diocesis alicuius Episcopi, sed est veluti propria Diocesis distincta à Diocesi Episcoporum: nam Monasteria illorum Prælatorum sunt exempta, & immediatè subiacentur quoad iurisdictionem in vtroque foro eidem Prælati, & consequenter sunt æquipollentes Episcopi, sicut Abbates, & Prælati; ergo comprehenduntur in dicto Decreto, sicut iidem Abbates, & Prælati habentes iurisdictionem quasi Episcopalem in subditos seculares, & de ipsis verificatur tota dispositio quoad omnia verba; ergo vti dicti Decreti possunt vti dicta facultate dispensandi, & absoluedi erga suos subditos regulares. Confirmatur, quia illud Decretum Tridentini, est fauorabile, ergo ob eandem identitatis rationem extendendum etiam ad dictos Prælatos religionis maximè cum resilit in bonum religionis cui certum est summum Pontificem in suis concessionibus, & priuilegijs plurimum fauere velle. Confirmatur secundò, quia alicui Religiosi essent peioris conditionis, quam seculares, & relinquerebantur à Concilio abique conuenienti suarum animarum remedio si in talibus casibus pro dispensatione, & absolutione tenerentur vel adire summum Pontificem; vel alios Prælatos extra religionem, & propria Monasteria, qui non essent Pastores proprii, quod etiam vergeret in graue damnum regularis disciplinae, quia præberetur religiosis vagandi occasio.

Sed quidquid sit de hac opinione, certum est penes me, quidquid asserat Ioannes de la Cruz de statu Relig. lib. 1. cap. 6. dub. 14. concl. 2. prædictam facultatem Concilij Tridentini competere Prælati Regularibus & Conuentualibus per Bullam, Pij V. die 21. Iulij 1567. relata à Rodriguez in qq. Regul. tomo 1. quest. 61. art. 9. & Suarez tomo 4. disp. 30. sect. 2. num. 7. Et ita docet Marchinus de Sacram. Ord. tract. 1. part. 9. disp. 1. num. 9. Sanchez & Sigismundus vbi supra, Hen-

riquez lib. 7. cap. 25. num. 3. in Glossa littera Q. Beia loco citato & nouissime Trullench in Decalogum tomo 1. lib. 1. cap. 3. dub. 4. num. 5. An verò in dicto Decreto sub nomine Episcopi comprehendatur Vicarius Generalis videtur affirmare Sayrus de Cens. lib. 4. cap. 17. num. 19. & Victorellus in Notis ad Tolerum lib. 1. cap. 46. Sed hoc refellit ex Sacra Congregatione P. Theaurus in Praxi de Pœnis. p. 1. c. 24. ver. Respondeo tertio, in fine nisi specialiter ab Episcopo facultas committatur.

Quamuis non plene sup. hoc, lege tamen in tom. 3. tr. 3. doctrinam Ref. 4. & Ref. not. seq. Et pro contento in lin. it. huius Ref. Vide ibi doctrinam Ref. 14.

RESOL. CCXCII.

An superiores Regulares possint dispensare cum suis subditis super irregularitate contracta ex homicidio voluntario?

Et quid, si sit occultum? Et an hoc etiam extendatur ad Nouitios? Et adducitur in specie priuilegiu Pauli III. pro Religiosis vbi conceditur vt in singulis annis primo die lune Quadragesimæ dispensent cum omnibus subditis in omni irregularitate quauis occasione, vel causa contracta? Et an dicti Regulares Prælati possint vigore priuilegiorum dispensare super bigamia vera, vel interpretatiua? Ex p. 3. tr. 2. Ref. 45.

Negatiuè respondent Peyrinus in priuileg. Min. to. 1. c. 2. Iulij 11. §. 29. n. 103. & 104. Layman in Theol. mor. lib. 2. tract. 5. part. 5. c. 9. n. 7. Ludouicus Molina de inst. tom. 4. tract. 3. disp. 70. n. 12. vbi sic ait. Dixi, dispensare poterat, quoniam si homicidium sit voluntarium, esto, sit occultum, statuit Concil. Trident. sess. 14. c. 7. de reform. vt in eo non dispensetur ad sacros Ordines suscipiendos. Priuilegia autem omnia Regularium reuocata sunt, quatenus eum dispositionibus Concilij Tridentini pugnauerint, & eaque de causa Prælati Religiosorum, neque in conscientia foro dispensare hodie possunt, vt homicida voluntarius Ordinem aliquem lacrum suscipiat, & fortè in eo priuilegio hoc non continuabitur. Ita Molina, & alij.

Sup. hoc in duabus Ref. seqq. & in tom. 5. tr. 6. Ref. 1. à lin. 2. & signatè paulo inferius à vers. Pueden los Prælados & in alijs §§. not. 2. dictæ Ref.

Non desunt tamen affirmatiuam sententiam tuentes, & ita docet Io. de la Cruz de statu Relig. lib. 1. cap. 6. dub. 19. Miranda in Manuali Prælatus tom. 2. q. 8. art. 10. concl. 2. Sigismundus à Bononia tract. de elect. part. 2. c. 4. dub. 7. n. 1. Rodriguez in qq. Regul. tom. 1. quest. 24. art. 12. Corduba, & alij. Et hanc opinionem extēdit ad nouitios Bartholomæus de Vecchis in praxi nouit. disp. 9. dub. 16. num. 2. & fundatur hæc facultas in quodam priuilegio Martini V. & alijs relatis in Compen. Societatis Iesu, verb. dispensatio §. 1. & in nostro p. 1. verb. dispensatio, §. 2. & seq. & hanc sententiam nouissime docet etiam Laurentius Portel in dub. Reg. verb. dispensare, n. 8. vbi sic ait. Possunt Prælati etiam Conuentuales dispensare cum suis subditis super irregularitate orta de homicidio voluntario, si sit occultum, non verò si sit publicum. Sic ille.

Notandum est etiam hic obiter in specie priuilegium concessum à Paulo III. Religiosis D. Benedicti Vallisoleti, & relatum à Rodriguez in Bullario fol. 817. vbi conceditur, vt singulis annis primo die Lunæ Quadragesimæ dispensent cum omnibus subditis in omni irregularitate, quauis occasione, vel causa contracta, in qua concessione obseruat Hieronymus Rodriguez in compen. qq. Regular. resol. 16. n. 14. & resol. 52. n. 25. Laurentius Portel in addit. ad dub. regul. ver. dispensare, n. 5. quod Summus Pontifex, non limitat si sit homicidij voluntarij, neque casualis, neque limitat si sit delictum occultum, vel publicum, neque excipit bigamiam, &c. Sed absolute, & in communi ait, quauis occasione, aut causa contracta, quod non reperio alium Pontificem concessisse. Cumque concessio sit tam ampla, & generalis, & Papa id possit concedere, nec ab ali-

Sup. contentio in hoc §. in Ref seq. post medium §. 1. à vers. Illius est, & infra in Ref. 296. §. Sed hoc, & supra in Ref. 287. §. Confirmatur ex doctrina ad medium, & in tom. 3. tr. 2. Ref. 64. §. Et nes & in c. 5. tr. 8. Ref. 35. §. Nominatum.

quo

quo successore reuocatum inueniamus in speciali, videtur posse Religiosos illa vti, sicut iacet, sine limitatione; quia cum lex, vel princeps non distinguit, nec nos debemus distinguere. Ita Portel *vbi supra*.

Sup. hoc infra in Ref. 296. & in alius eius primæ not.

4. Sed an omnia supradicta pro sententia affirmatiua sint probabilia, nec ne, remitto me iudicio aliorum, sicut & in alia quaestione, An dicti Prælati regulares possint vigore priuilegiorum dispensare super bigamia vera, vel interpretatiua, nam negant Layman *vbi supra*, & alij, quos citat, & sequitur Vechius in *praxi noui. disp. 9. arb. 25. n. 2*. Sicut è contra affirmant Auila de *cenfura p. 7. d. 8. d. 4. concl. 8. Henriquez lib. 12. cap. 6. n. 11. in glossa, litera Z. & alij*.

RESOL. CCXCIII.

An Prælati Regulares possint dispensare cum suis subditis in irregularitate ex homicidio voluntario occulto proveniente?

Et an mortuo, vel amoto Priore, Vicarius in Sede vacante possit super hoc ipsum dispensare?

Et an Prælati Regulares Ordinum Mendicantium possint cum suis subditis dispensare in irregularitatibus provenientes ex publico delicto, & ad forum contentiosum deducto præterquam homicidij voluntarij bigamie, & mutilationis membrorum, &c. Ex p. 7. tr. 11. & Misc. 2. Ref. 41.

Alibi in Ref. quæ hic est antecedens, & in alius eius primæ annot.

§. 1. DE hac quaestione ego alibi, & de illa magna mihi fuit olim altercatio cum amicissimo bon. me. Io. Baptista Coccino sacre Rotæ Decano, qui mordicus negantem sententiam sustinebat, sed aientem nouissimè docet Stephanus Baunius in *Theol. mor. p. 2. tr. 11. q. 68*. vbi loquens de Prælati Regularium sic ait: Quinto dispensant in irregularitate cuius causa homicidium voluntarium extitit modo occultum. Ratio est, quod Martinus eius nominis V. vt est in compend. Mendicantiū verbo *dispensare. n. 14.* & apud Rodrig. *tom. 1. qq. 9. 24. art. 12. absolute in superiorum iure esse velit, dispensare posse cum subditis, in irregularitate nata ex homicidio, at ista voce quodlibet idest tam quod casu, quam quod voluntate est admissum, comprehendi est certum. Vetus enim est, verum tamen, axioma Canonici iuris, cuius etiam fit mentio, in lege non distinguendi de recept. distinctioni locum non esse cum eam lex non adhibet, at nulla Martinus est vltus, sed vniuersè, à Regularium Prælati subditos suos absolui posse ait, ab irregularitate, cui ab homicidio factum esset initium, ergo tam quod est fortuitum, quam quod voluntarium vox homicidij in eo priuilegio posita comprehendit, hoc tamen discrimine, quod à voluntario absolui regulares nequeant, nisi cum est occultum, dispensari autem in irregularitate à se incurta valeant, ex homicidio casuali publico, aut defendendi sui causa admissio, coram & in multorum oculis, Rodrig. *to. 1. q. 24. art. 13. Compend. Diu. Hieron. ver. disp. in foro penitentia §. 10.* quo in genere, Illustre est quod à Paulo III. Religiosis S. Benedicti Vallisolei indultū traditur, nempe, vt prima die Lunæ quadragesimæ à singulis eorum peccatis, sententiis, censuris, & penis per eos pro tempore incurfis, etiam in casibus quomolibet referuatis, (exceptis contentis in Bulla Cæne Domini) absolui à superioribus suis possint, & cum iis super quibusuis irregularitatibus per eos pro tempore quavis occasione, vel causa contractis dispensare, Rodrig. *fol. 807. Bullar.* quam potestatem delegare confessorio possunt, tam prædicti superiores quam quilibet alij, cunctis in eo priuilegio communicantes, quia est iurisdicctio per Papæ priuilegiū habita, ordinaria secundum Sanchez. *l. 2. de matr. d. 40. n. 14. Port. de dubijs in addit. ad verb. dispensare. n. 2. & verb. Aborsus. n. 12. or-**

Sup. hoc in Ref. præterea §. Notanda est. & in alius eius annot.

Extendendum.

dinarios autem subrogare sibi certos posse homines, in quos potestatis suæ partem deriuent notus est quam foret, vt prohibuit Pius V. Provincialibus & Prioribus sui Ordinis, nec enim in reconciliandis suis subditis cum Ecclesia per absolutionem censurarum, & dispensationem irregularitatis, in quo tantum eos posse voluit, quantum Episcopis per Concil. est permittum in *sess. 24. c. 6.* modò idper seipfos, respectu erga subditos duntaxat, facerent.

2. Et quoniam in his quæ conceduntur Episcopis, per Concilium; suntque Papæ reseruatæ communiter, continentur sequentia, Censuræ eaque numero tres, excommunicatio, suspensio, interdictum, secundum peccata reseruatæ vt simonia in beneficiis, tertio irregularitas, quarto, officiorum vel beneficiorum iam obtentorū priuati; quinto, inhabilitas, qua quis, ob culpam eamque grauem, ad beneficia aut officia obtinenda in posterum redditur inhabilis: hæc abolere, aut in iis dispensare similiter ac Episcopi, Prælati regulares, vt huius priuilegij, poterunt, dummodo sint occultæ, & non deducta ad forum contentiosum, quam ad rem duo sunt necessaria, primum vt ad iudicem, saltem per vnum testem sint delata, secundum vt hæc res remota sit delatio, nam si non sit intimata illi à Iudice, non dicitur eius delictum deductum ad forum contentiosum, Portel in *addit. ad verb. Abbas. & Prior. n. 5.*

At enim (inquies) inhabilitas ad beneficia & officia non meminere Patres in citata *sess. 24. Concil. c. 6.* Respondendum, eam suspensionis nomine intelligi, hæc enim lato modo (vt aiunt) impropricè, sumpta, & interdictum à locis sacris continet, Thelaurus teste *p. praxis ver. censuras. c. 2.* & priuationes officiorum, & inhabilitates, Rodrig. in *explicat. motus proprij P. 9. de ingressu mulierum in Monasteria virorum*, quarum ad beneficia religiosi regendi, quibus sunt priuati, & reuocari ad officia, quibus iudicati sunt indigni, dispensante Prælato suo poterunt. Hue vsq; Baunius, ex quibus patet posse superiores Regulares cum suis subditis dispensare super irregularitate orta ex homicidio occulto.

4. Hanc etiam sententiam docet amicissimus meus Candidus *tom. 2. disquis. 24. art. 61. d. 8.* cuius verba hæc sunt. Vi priuilegij Martini V. in quo communicant Religiones Ordinum Mendicantium, non solum Generales, & Provinciales sed etiam Præpositi & Priores locales possunt dispensare cum sibi subditis in foro conscientie super omni irregularitate, etiam contracta ex homicidio voluntario occulto tamen, nam communicatio priuilegiorum sic intelligitur, quod ea quæ conceduntur Magistro Generali vniuersi Ordinis, censeantur communicata Generalibus aliorum, & quæ conceduntur Provincialibus, & Prioribus, censeantur communicata similibus Prælati provincialibus, & Prioribus, vt tradit Ioannes Dela Cruz *lib. 2. de communicatione priuilegiorum, cap. 4. d. 2. concl. 2.* Sed prædictum priuilegium fuit concessum a Martino V. Priori Monasterij S. Benedicti Vallisolei extensum postea, & communicatum omnibus Prioribus, & Abbatibus aliorum Monasteriorum, vniuersi Collector priuilegiorum Mendicantium, *verb. Absolutio ordinaria quoad Fratres, §. 40.* Ergo Priores locales Ordinum Mendicantium communicant supra dicto priuilegio, poterunt igitur cum suis subditis in foro conscientie dispensare super omni irregularitate, etiam contracta ex homicidio voluntario occulto tamen. Nota tamen quod subprior Conuentus mortuo, vel amoto Priore potest supra dicto priuilegio Martini V. gaudere erga sibi subditos, quia non dignitati, vel officio conceditur hoc priuilegium, sed in favorem animarum, tum, quia hoc priuilegium non conceditur Abbati, sed Priori S. Benedicti: ergo ad subpriorem mortuo, vel amoto Priore, Sede vacante est extendendum.